

/ Serenissime Princeps. Auditum est hic Romae, non satis certo auctore, tractari de coniugio inter Serenissimum filium Serenissimae Celsitudinis vestrae, et principem quamdam haeresi Lutherana infectam. Et quamvis hoc aegrè credatur à nonnullis, ab aliis nullo  
5 modo fidem mereri videatur: mihi tamen, ob antiquam, et summam observantiam, qua prosequor Serenissimam domum vestram, visum est hoc ipsum indicare Celsitudini vestrae Serenissimae, et simul breviter attingere pericula, et scandala, quae ex huiusmodi coniugio, si fortè revera iniretur, nascitura videantur. Ac ut de periculis ordiar,  
10 non est ignota Serenitati vestrae vox illa Dei, 3. Reg. XI: Non ingredimini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras, certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum. Quae divina sententia etiamsi probatione non egeat, cum divina sit; tamen ratione, et experimento manifestissimè comprobatur. Ea siquidem est natura  
15 foeminarum, ut multò facilius sit, ut ipsae viros pertrahant ad errorem, quam ut vir eas perducant ad veritatem. Certè prima mulier in statu innocentiae plus potuit blanditiis suis ad virum perdendum, quam primus homo, idemque sapientissimus consilio suo ad eam conservandam. Salomon quoque, cum multas uxores idololatrias haberet:  
20 nullam omnino reduxit ad veram pietatem, sed ab omnibus ita deceptus est, ut singularum idola coluerit. Achab rex à Iezabele inflammatus Heliam persecutus est, idola coluit, falsos prophetas fovit, Nabuthem occidit, et tandem ipse, et uxor eius vitam, et regnum miserè amiserunt. Itaque, inquit Scriptura, non fuit alter talis, sicut  
25 Achab, qui venumdatus est, ut faceret malum in conspectu Domini: c concitavit enim eum Iezabel uxor sua, et abominabilis factus est in tantum, ut sequeretur idola, quae fecerant Amorrhaei. Sed ut ad nostra veniamus, notae sunt tragediae, quas excitavit adversus Sanctum Ambrosium, et ecclesiam Mediolanensem Valentinianus Iunior; ut  
30 assentiretur Iustinae parenti suae, quae Ariana labe infecta erat. Quae vero fuit origo haereticae pravitatis in Anglia, nisi coniu-

/ gium Henrici regis tunc catholici cum Anna Bolena haeretica? Consu-  
lat Serenitas vestra librum primum de schismate anglicano Nicolai  
Sanderi, ubi haec verba inveniet: Omnes anglicani protestantes, Lu-  
therani, Zwingliani, Calvinistae, Puritani, et Libertini has nuptias  
5 Henrici, et Annae adorant, ut fontem evangelii sui, matrem ecclesiae  
suae, originem fidei suae. Ac ut caetera omittam, quia nimis longum  
esset singillatim persequi: vidi ego oculis meis quanta esset liber-  
tas haeticorum quo tempore vivebat uxor ducis N. quae hae-  
reticis Calvinianis obnoxia erat: sola enim umbra mulieris illius  
10 faciebat, ut in illa provincia haeresis toleraretur: et tamen foemi-  
na illa vetula, et deformis erat: quod si iuvenis, et formosa fuisset:  
et cor viri sui amoris retibus occupasset; quanta, quaeso mala ab  
haeticis timeri potuissent? Venio ad scandalum: Serenissima vestra  
domus verissima laude floret inter omnes gentes, quod ab omni haere-  
15 sis colluvione intacta permanserit, quodque ecclesiae catholicae le-  
ges sanctissime ad hanc diem observaverit: denique quod omnem ditio-  
nem suam, quae amplissima est, in antiqua, atque orthodoxa religione,  
et in ecclesiae catholicae obedientia continuerit. Quae erit igitur  
admiratio hominum, si videant contra expressam ecclesiae legem, et  
20 cum evidenti periculo fidei in ipsam domum principis admitti hae-  
reticam foeminam ad maritale consortium? Lex est concilii Agathen-  
sis ab ecclesia universalis approbata, et in Decretum relata 28.q.8.  
can. Non debet: ut non liceat haeticam mulierem ad coniugium cum  
viro catholico admitti. Quis ergo non ingemiscat, si videat in domo  
25 Serenissimorum principum originem tam ingentis mali? Horret profec-  
to animus meus cogitare ex una tali scintilla quam magnum incendium  
excitari possit. Sed quoniam, ut initio dixi, non facile possum ad-  
duci, ut credam, quod fortasse sparsit vanus rumor; non ero in hac re  
deploranda prolixior. Unum precor Serenissimam Celsitudinem vestram,  
ostulat. 30 ut eo animo haec legere dignetur, quo à me scripta sunt, candido vi-  
ol. Jur. delicet, et sincero, et gloriae, ac salutis imperii vestri cupidissimo.  
9<sup>v</sup>-32<sup>v</sup> Deus Optimus Maximus Serenissimam personam vestram cum omni domo sua  
alig. XXXV diutissime servet incolumem. Romae 1605.